... Coenobium

Filipowski Car. G. Viva Cisterciensium ci-
sterna

VIVA CISTERCIENSIVM CISTERNA,

Olim è Diuo

BERNARDO

FONTANIS BVRGVNDIÆ

ORTA,

Nunc rudi Stylo

LAVDÆ

In Adm: RR. PP. Cistercienſium Cœnobio

APERTA,

Anno coarctati intra Ciſternam, Vteri Virginalis, Bonorum Omnium Fontis.

M. DC. LX. VII. XX. Auguſti.

CRACOVIÆ, Apud SCHEDEL, S. R. M. Typograph.

In Gentilitium Stemma,

I.	A.
R.	Z.
D.	V.
A.	L.
S.O.	C.
P. P.	P. P.
C.	G.
P. S.	A.
I. V.	D.
S.R.	M.S.



D. P. M. C.

CRVX TVA cum SOLEA, meruit Te Antiſtite poni
Fonte ſuper viuo, melle fluentis aquas.
Hinc Aganippæo SOLEAM non in ſero fonti,
Namq; CRVCI, non ficti, vngulæ adhæret equi.

Perillustri, ac Reuerendissimo Domino,

D. IOANNI

à ROXYCE,

ZAPOLSKI,

DIVINA VOCATIONE

ABBATI LANDENSI,

SACRI ORDINIS CISTERCIENSIUM,

Perutramq; Poloniam, Prussiam, Pomeraniam,

COMMISSARIO GENERALI.

Protonotario Sedis Apostolicæ,

I. V. D.

S. R. M. SECRETARIO.

Domino, Patrono, & Mecœnati Colendissimo.

G*Ratus Tuorum meus Beneficiorum animus,* PERILLUSTRIS *ac* REVERENDISSIME DOMINE, *non perinde atq; lacus Antigoni exhauritur. Sed in Mellifilui Doctoris Cisternam influens, Soleam (quam illustrius illi supereminere, quàm olim super fontibus Heliconis, ad fabulosam vngulam Pegasi, è caucaso Bellerephonteis excussis aquis*

Solea supereminéret, nouit) eidem Cisternæ, rudibus paucisq́ lineis circumducta voluit supereße. Quanquam frustra hic gratias ad vnius fluuij, an folij coárctauerim compendia, quas tota continuabit vita mea. Scio exilem eße gratitudinem, quæ vel tota per desideria se trahit in debitum, vel tota per calamum arsuram effunditur in Pagellam. Tantus es PERILLVSTRIS *ac* REVERENDISSIME DOMINE, *vt sola Tuis, quibus inundaui sufficiat, refundendis gratijs vita mea; non aliter enim sibi beneficium reddi meruit, qui illo ita nutriuit suos, vt eius gratiam perennia, vix diluant diluuia gratiarum. In plurimas Virtutes Tuas, quas vel è Cruce, armatam illam et Soleam insequens, legerem, non excurro, maiores illæ sunt, quam vt Minori, quin & Maiori Polonia, ne dicam extra Prußiam & Pomeraniam, (vbi latißimè odorem spargunt suum) minima charta mea comprehendi debeant, aut poßint. Ac nec faciliùs laudem alicuius ad summa perduxeris, quàm si beneficijs immoreris, nec vnquam pulchriùs coloratur Panegyris, quàm grati animi recenti imagine, cum nec suauius inhæreat eloquentia, quàm memoriæ gratiarum. Ergo cum ita feliciter gratiæ Tuæ pectori seipsæ insinuant meo, nec plus e calamo exprimunt atramenti; quàm ex corde affectum, talem Te rudis alioquin Stylus meus Mellifluæ præmittit Cisternæ: quales cordi meo, immißis in me gratijs influxisti. Crescet à tanto gratiarum irriguo gratitudo, quam non alio fluêre feci tramite, nisi ad gratam Tibi etiam eò nomine Diuinißimi* BERNARDI *Cisternam.*

Perillustris, ac Reuerendissimæ Dominationis Vestræ,

Humillimus Cliens,

CASIMIRVS G. FILIPOWSKI,

T. P. M. M.

ORATIO.

MAgnorum Augustam nominibus, quia & suo non angustam limite, ipsis etiam Antipodis, mellifluis è Principe Cisterciorum, Fonte fluentem aggeribus, hodie Vobis coram Cisternam aperio. A Religionis, Generis, doctrinæq; luce spectatissimi: Auditores. Augustam à tot augustis nominibus, quis non dicat? Cui non natiua solùm ab Augusto Cæsare in mense serenitas, sed mutuati etiam à domesticis fontibus affulgeant splendores. At nec annuæ lucis arbiter, & dierum, ita reliquis profusiùs impendi lucem diebus voluit, vt huic dierum, mensiumq;, in nostris, facilè Principi, vel è repercussis Cisternæ nostræ fontibus lucis minimùm largiretur. Non Augustus mensis hic, sed angustus esset, nisi ita augustos haberet fontes. Augustum condere leges orbi, Augustum producere, vel explicare productos amplissimos fontes congruum est, & à fontibus dies. Quanquam quid à sequaci dierum luce, tui tu emendicare necesse, habeas augustalis auctoramenta? notent sanè alios dies felicitatis tesseræ, albi calculi, aurei alios, gemmeiq; consignent elenchi, primæ lucis mortalibus Auctores cum Romæ conditore die è voto, Tullij beneuolentia, ad Deos immortales subleuentur: iam tu Cisternæ huius nomini cognominis Corona Cisterciensium meliori notaberis no-

mine, si illo ipso insignitam Te (vt gaudes hodie) cognoueris Titulo, qui vt suam augustius exaggeraret amplitudinem, ipsius BERNARDI, cum ipso BERNARDO nomen in Augustum suâ celsitudine montem Cistercium, & hinc amplissimam Cisterciensium Mense Augusto transtulit in Cisternam: Itaq; iam adustus à Principe astrorum Sole, ad Heliconios Aganippæosq; tanto impetu non gradietur orbis, vt eneruatos, & semimortuos nobilissimorum operum laboribus restituat, pristinæq; compositionis reddat Spiritus integritati. Ad Melleum verò Fontem, quis non confluet, ex quo religionem cum eruditione, cum sanctitate innocentiam, & quod supremum ac prorsùs diuinum est, hauriet ipsum DEVM. Communibus iam nauseamq; importantibus viuant alij fontibus, hodie Vestris absq; saxeo labore in Cisternis, ortâ Cisternâ: frustra Hippocratem & Galenum cõsulitis. Superbum olim iam delitescat in elingui sopitum cinere Cleopatræ tripudium: Milesiorum sumptuosa vno ictu oculi absumpta fastidia, crepent inani luxu Neronum Caiorum, plenis poculis oneratæ mensæ; hæc vnum, nullum, aut paucos: vos non vnum Epulonem Antonium, sed totum sitientem abundè potabitis orbem, dum secuturam ex Cisterna hac vestra hausta frigida reficietis posteritatem. Augustam sanè, & Sigillo Augusti notandam è voto Oratorum diem, qua non vna scaturigo ad potandum suauissima, sed immensa, etsi ab vno fonte copia fontium promanauit. Non est hîc cum Diogene in tanta fontium an mentium die quærenda dicendi materies, vbi nihil è tam Augusta Cisterna, præter augustos decurrit fontes, Cæcutit ad Solem, sitit ad

fontes,

fontes, friget ad ignem, qui præſentia laudationis non conſpicit argumenta.

Verùm vt vſitata Rhetorum progrediar via, liceat mihi ſaltem à longè Ciſternæ huic adſtare, ſalientesq; ſurſum, vel extremis (quod aiunt) labris haurire guttas. Equidem ſcio, quod de meo ſim ſitientiſsimus, ſed cum Fontem virtutum Ciſternam vel introiero, vel inſpexero, ſpero me pleniſsimum ditiſsimumq; euaſurum, quod dum fauſto pede aggredior: Vos Fauete.

Obſeruauerunt plurimi Religiosè ſummorum Ortus, & Natales Virorum: Auditores. Perſæ tam felices quam Petræi, quo Xerxes diem natus, Siracuſani, quo Leo Timoleon, Athenienſes, quo Socrates Orator Romani, Idus Iulias, quibus ſemper Auguſtus, Cæſar: Ianuarias, quibus bis Titus: Decembres, quibus Nerua: Nouembres, quibus Adrianus: Apriles, quibus ius & iuſtus Antonius. Februarias, quibus re nomineq; Conſtantinus: prodiêre in lucem. Obſeruamus & nos, quas nobis reliquerunt Auguſtas, non quidem vt antiqui Auguſto, in Genethliacam terris aſſumentes, ſed ipſi quam loquor Ciſternæ Diuiniſsimo BERNARDO noſtro, in Fontalem Diuino electam nutu, hodie ſolêniter venerantes. Recreare iam plenius plena æſtiuorum æſtuum benignitas, nos ad hanc Ciſternam poterit, quando lucis terrenæ anguſtias perpetua luce dies æternitatis compenſare, illi etiam in refractis à ſuo fonte radijs incipiunt reſplendenti Multum decerpi deteriq; de ſua gloria credidiſſe videbatur, non meſſium minùs, quàm gaudiorum veſtrorum ferax auguſtus, ſi dum eò vergente ad plenam maturitatem proiecta terræ,

agro-

agrorumq; germina gaudent se perfici, solùm se deficere tristiore cælo, in lahrymas soluta gemeret lux dierum. Inuidit eam reliquis (quos aut verna commēdat temperies, aut autumnalis plenissimè ditat feracitas) mensibus gratiā, auræq; popularis fauorem Augustus; iamq; & ille in noua se se luce circumspicere, alijsq; se hodie spectandum exhibere incipit, nouo festiuæ lucis auctuario circumactus. vsq; adeò non satis sibi luminis affulsisse censuit, siue à viuæ virtutum Triadis, sine quarum lumine, nulla lux gratiæ oboritur nobis, siue ab affulgenti eiusdem in controuersijs Iudici Petro in carcere solutisq; vinculis latiùs sparsa luce, quâ abundè suas illustrauerat Calendas. Non satis fulgoris à nec dum etiam nato, siue ore facem, siue fronte stellam præferente Dominico, non satis hominum oculis animisq; admirandus in candore suo euasisse sibi videbatur, à niueo inter æstus medios vellere per castiorem niuibus MARIAM in Exquilino. Non satis ex Laurentij ignibus suam fulsisse felicitatem censuit. Deniq; non satis decoris visus est assumere, ab assumpto in superûm splendores illo sæculorum decore, Virgine ter Augusta, non satis ad claritatem monstrari nomine manuq; Claræ, insigniri Lilio Radegundis, Tolossani Præsulis, simul Regali, simul Episcopali Purpura exornari, nisi mutuatos à Sole iustitiæ nocte Natalitij, crescere vix ab exortu suo exordienti, refractos in rigentibus aquis adolescentiæ, fulgentes imò fulgurātes inter pudoris insidias, intempesta nocte; procedentes tandem & vsq; ad perfectam crescentes diem in Cistercio monte, repercussos à Cisterna nostra radios luce hac addidisset. Adeò & ipsis mensibus exaggerationis insedit cura

splen-

ſplendoris, ne alijs poſt habendi, & exhauſtis per alios menſes laudum fontibus ipſi videantur illaudati. Tuam hîc lucē veneror Diuiniſsime BERNARDE, accendiſſe, eamq; tibi auxiſſe cumulatiſsimè poterat triplex illa, quam innui noctium lux, an dierum, niſi eam Tu à Clara valle dicam potiùs ab vmbroſa, (quæ tibi ſplēdores mundi, claritate vmbrauit ſuâ) Ciſterna haurire maluiſſes. Habet ſuos ſplendores quantumuis ad glorioſas vltrò damnata tenebras, vmbraſq; ſolitudinis virtus Ciſtercienſis Ordinis: Auditores; non minorem cælis afflare ſolita, quam è ſua limpidiſsima Ciſterna BERNARDI, ſequacibus nitorem præfert: Neq; enim ſplendor ille ſemel è Ciſternæ noſtræ eductus vena, ita in altos refringi ſolet radios, quin lucem à radijs, ſplendorem à limpida mente, ſeparare aut ſoleat, aut poſsit.

Sed iam reflexis à luce diei oculis, quæ ſuæ lucis ortum à reflexis in Ciſternam noſtram radijs ducit, ortum Melleæ in ſuis fontibus Ciſternæ inueſtigemus.

Primi Oratorum exiuêre fontes, Demoſthenes Summus Oratorum Græciæ è Græcia, Romanæ eloquentiæ Princeps ab Italia. Fontanis è Burgundia hodie Mellifluâ Fontibus Ciſternâ prodit: & iure meritò Ciſterna eſt, nec aliundè prodire debuerat, quam Fontanis, eſt illi tam profundum dicendi genus, quam ipſa profunda fontis profunditas. Nec è cælite Lyceo non ſublimis Orator, nec è profundo fonte, non profundus fons venit Orationis. Sed quàm & hæc profunditas Fōtis noſtri, profundè ſe ſuis immorſerit hoſtib⁹, exponēdū.

Nullam arborem profundiſsimarum etiam radicum inuenio, in quam venti non ſæuiant, nullam, quam horribilis

Aquilo, exitialis Auſter non examinet Ciſternam. Subiectus his inſolentis fortunæ lubricæ vicibus, & Tu Melliflue Ciſternæ tuæ Fons BERNARDE Diuiniſsime apparebas. Primam ſtationem curſus Tui abſoluis, fortiſsimè lenocinijs verborum, crebris tentationum flatibus, oppugnaris: ſtas tamen immobilis. Nouerca mundana, ab immunda voluptas ſinũ ſuum blanditijs plenum, vt illum adames adaperit, vbera deliciarum lacte manantia præbet, ſed tanta lenocinia minimè tibi placent, ad indagandum veritatis ſaporem, Te, nec Tuis immittis labris, nec intras. Optimè Melleë Fons, melle illita venena noſcis. Fortuna retia ſua extendit, non Te captat; vt potè ſolis nocere ſolita obeſis Delphinis, non fontibus. Magnificentia in alto categoriarum genere poſita, ſplendorq; dignitatum forit Tibi oculos: ſed his Baiaſetis caueam, Mauritij tot laboribus comparatam gloriam, Pompeij inuidendam potentiam, Valerianum catenatum, Cræſi aurum abſq; pondere, Xerxis innumerabiles copias, Alexandri vix Oceano & Riphæis montibus, & fontibus terminatum, finitum tamen tempore, imperium optimè infra ponis. Procul impia ſunt à Te, honorum arces, Priuilegia, ne ſigillatum mancipium maneas. Ad affabiles Sirenum cantus aures obſeras, vt non naufragium caſtitatis patiaris. Quæcunq; ponderoſa mundus habet opponit Tibi, leuiter reijcis, per vnicum contemptum. Per diuerſa iactaris, ſolido conſiſtis paſſu. Sed his non immoror, ad profundiora profundiùs deſcendẽdum. Prædones, latrones, ad feraces pretioſoſuè

San-dæ l. de ſal. mũd.

Cæl. Rhod l. 5.

ſæpiſ-

ſæpiſsimè graſſari, ſiue fluuios, ſiue fontes, pretioſiſq; vnionibus, auro, & adamantibus inſidiari, incomperto eſt. Non excipitur hinc, exceptus à latronibus Melleus Fons BERNARDVS: adeſt ad hunc pyrata, non Mephitis, ſed immanis belluarum bellua Acaſta, & certè non caſta, vox illi, vox mellea, ſcilicet ad Fontem Melleum, fellea tamen mens, eloquiū ſuaue, malum cor; adeſt iniectura Tibi Fonti viuo labē, tota æternitate diluendam, ductura Te, non ad thermas virtutum, ſed in Amphryſium iniectura contra æternitatem obſtacula, nec Heröis magni ſolertia, nec Alexandri gladio diſſoluenda. Tentat florem illibatæ innocentiæ, ſuis infernalibus adurere flammis, ſterilem Olympo reddere, ſed pietatis riuulis madefactus, non exuſtus, immò nec aduſtus exiſtis. Ad exſiccandum Fontem virtutum illiciti, & mali ignis excitat appetitus: ſed ô pulchram antiperiſtaſim Fontis cum igne. Ad impudicas flammas frigidiſsimus perſeueras, eruditus es qui DEVM calles, & DEO cales. Admoto propius veneno ſudas, in Ciſterna Tua Nobilis Gemma: præſto pyrata: aurum palles. Hucuſq; pugna, ſed nondum victoria: bonis auibus, primus hoſtilis impetus feliciter repulſam paſſus, ſed iterum tentat: aggreditur ex aduerſo, aduerſa nulli niſi hoſti adeſt innocentia pugnat, licet non ſine ſanguinis pudore, pro virginitatis priuilegio, aut potiùs immortalitatis. Iterum, iterumq́; pro caſtimonia tanquam pro aris & focis ſtrenuè depugnatur, Latrones, Latrones, iterum, iterumq́; clamatur, pugnatur iterum, immò vincitur fontibus. O quanto hic æqui-

Virg. lib. 7.

Idem lib. 6.

ùs, quàm olim Apollini ob confoſſum, & debellatum Pythonem, ludos laudeſq; Tibi noſtrorum fons animorum Diuiniſsimè Doctor, Tuis non pares virtutibus proponamus? qui ſplendidè ſapientiæ viribus Nympham, nocentiorem Hydra, & maiora Pythone monſtra libidinum ſuperâſti: effeciſti ſolus quod omnes, per tot myriades annorum tentamus, in littore io vtinam cantaturi. Sciuiſti Tu vel maximè, non fruſtra Te Fontanis & è Ciſtercio, ortum, nomenq; accepiſſe Ciſternæ: meliusq; ideò Tua vigilantia pro conſeruanda augendaq; Tui Nominis Maieſtate excubauit, quam Anſer Capitolinus pro Latio; aut pro hortis Heſperidum Draco peruigil excubaret, arctiùsq; Tuam illi augendæ diligentiam obligaſti, arctius inquam, aureis amoris compedibus illigaſti, quàm dum Xerxes in vincula coniecit Helleſpontem donec furore dediſceret in catenis. At decurſus hi Ciſternæ, & ſimul Ciſterciorum Principis BERNARDI certamina, & Triumphi, iam ad ſpatioſas, cum altore Fonte Mellifluo, valles & ſolitudines delabuntur.

Magnorum ſcilicet eâ natura fontium eſt, vt intra Iſthmi non ſciat anguſtias contineri, quin toto impetu in latè patentem exundet, immò erumpat vniuerſi molem. Ex aſſe Te Mellifluum Fontem corona hæc laudis concernit, cum ſpiritus, vigor, & rigor idem, in opaca ſyluarum luſtra, montiumq; latibula, in infæcundas dico, etſi pro tunc, cælitibus tamen vberes irruis ſterilitates: At quam fertiles reddas, quàm noua germina, ſanctitate odorifera ſuſcites, irrigando, plantationem virtutibus fructiferam, Roſas Religioſæ charitatis, Angelicæ Lilia puritatis, ad primum quidem guſtum

ſtum amaram, ſed poſt in dulcedine ſua miram, perfectæ mortificationis myrrham, ſuaueolens aſsiduæ orationis thus, inſeras, mutæ ſolitudines ad memorabile ſpectaculum, haud vocales Tacente me erumpite. Veſtros ieiuno orbi ſalutiferos fructus date, odores vel ex nomine Nardi ſpargite, & narrate. Nec mirum Melliſluum Fontem vtiliores dentata Cadmi ſegete produxiſſe fructus, & fontes cui facilè fuit omnium virtutum ſemina ſeminario Ciſtercienſi inſerere, qui ſingularum fertiliſsimus Nilus erat.

Legimus olim fortunatam & auſpicatam Romanæ Vrbi extitiſſe diem, quâ plenus erectâ ſpe, ſuam pro ſalute Patriæ Magnanimus Vir Curtius, in ebullientes præcipitaſſet flammas. Venerandas tot ſæculis Ciſtercienſium Ciſternas. Quis vos fortunatiores non agnoſcet, cum non vnus Fons Diuiniſsimus BERNARDVS ad animos feliciùs irrigandos, hortos agreſtes beandos, ſed cum plena abundantia ſcaturiginum, in Anachoreticas, cum gemmeo Achate Guidone, Fortunato Myro Gierardo, Nouitio amni Niuardo. Celebratiſsimo Peneo Petro influit, ac ſe ſe conijcit auſteritates. Fauet Olympus Nouæ Ciſternæ, nouoſq; etſi paucos (præclara etenim rara ſunt) adducit Tullos. Et certè ſpectabat hoc ad cumulum Religioſæ felicitatis, vt pauci paucos, & Religioſi, Religioſiſsimum non niſi Fontem ſortirentur. Minus tamen iam ſentiunt ſuam ſolitudinem, poſtquam Tu eam Fontium comitatu celebriorem, & numeroſiorem reddidiſti. Nullam timent orbitatem, Te, cum flu-

Plin. l. 30. 10. c.

Ptol. lib. 2. cap. 3.

Plin. lib. 4. cap. 8.

ctibus & fructibus BERNARDE Diuiniſsimè influente. O Principem Te omnium Fontium Fontem, nec ſterilem, nec effætum? nulla huc defluxit, & hinc effluxit guttula Auditores, quæ non incommodum reiectis procul laponibus, Braſilis, nec non Indis defluxerit, & vtilitatem. Proprijs id impenderes Mellite Doctor diſpendijs, quod bono Eccleſiæ, Orbiq; vniuerſo non impenderes, dicaresq;. Impendiſti orbi, dum ſaxeum hominem, Aquitaniæ ducem, in mollem mollibus verbis ſoluiſti ceram. Impendiſti Eccleſiæ, dum Schiſmate nouarum opinionum animatos, exanimaſti; dum ſeueritatem acerbam, Anacleti, fonte humanitatis & lenioris Spiritûs mitigaſti, dum poſt Honorium nauiculam Petri in periculoſo conſtitutam, compoſitis flatibus, & fluctibus ventorum, horribilibuſq; procellis, in maris Malacia conſtituiſti. Vno & omnia complectar verbo, Catholica Religio, Orthodoxa fides, gelido ſcelerum afflictata, & penè graſſante afflicta improbitate, erudito Tuo fonte reuixit, celerrimè animata: Mirabitur Te Auguſtum Fontem orbis, & tot ſæculis ſpectandum porriget, quot & ipſe incommodum orbis, ætatibus flues, flues autem ſolus quouſq; ſtabit ſolum, nec tacebunt, qui vel primis labris Te Fontem Melleum deguſtabunt. Succedet ſera abeuntibus poſteritas, viues vnus in omnibus, & quicunq; adueniet, vt ex vmbra ſolem, Te ex dulcedine noſcent. Clarum in Clara valle Ciſtercium Tuis, tot iam auguſtis Fontibus clariſsimum, quæ & quanta oſtentet cælo Fontis Tui, ac Religionis monumenta, edicet publicus Vrbis & Orbis oculus, qui tot in ſua & mundi ſpecula, è glorioſis Tui Sacri otij ſpeluncis, ad ſummum extractos faſtigium

ſtigium

ſtigium ſpectauit oculos, quot Nylus oſtijs non erumpit. Magnus profectò dicendus es, cui maximis Orbis Fontibus toties licuit inundare. Sed parua hæc ſunt, maiora audiatis.

Luce ſua illuſtris Angelicus Doctor Aquinas, feliciſsimum ſuæ ſortis retulit pignus & teſſeram, vel ex eò maximè, quod non tantum ſyngrapham ambabus (vt aiunt) manibus, pertinaciſsimè incunis, ideòq; non puerili amplexu ſtrinxit, reiteratiſq; oſculis honorauit, cui inſertum prægrande Diuinæ legationis ad Virginem per Angelum fuerat SACRAMENTVM: ſed etiam quod auido ore cæleſtem doctrinam, pius Helluo non ſit veritus deglutire. Fateor bonam indolem Doctorem Angelicum, optimo cibo Mariano enutritum. Sed ô quam Te, exiguam reſpectu ad noſtri Ciſternam Fontis Melleum Doctorem BERNARDVM Diuiniſsimum, hauſiſſe guttam video. Abliguriuiſti Tu equidem Helleſpontum, ſed ſtrictum, quia in ſchedula, Melleus Doctor BERNARDVS ſpatioſum lacteum, vltrò propinante ipſo Gratiarum Mari, MARIA exſorbuit mare; Adeò, vt vix tribus per antiquis liquidis LANDENSIBVS Fontibus, vnam exiguam reliquerit guttam. Tua hæc eſt laus, laude digniſsima LANDA, quod Tuis Fontibus, Fortunæ beneficio copioſus cæli additus ſit Fons: Teq; Fontem additum videamus, poſt primum, ſecundum. Non erigendæ hîc Thebarum portæ, pyramides. Ægyptiorum, Romanorum Trophæa, quin & laudis prædicatio ommittenda, vbi claritatem Tuam Fons ipſe atratis calamorum Fontibus reddidit illuſtriorem: Sed ad appoſitum palato fauo, & nectare dulcius recurro Ciſternæ toties laudatæ

Mare.

Mare. Hauris Diuiniſsime Fons BERNARDE Supremum toto ore, nec iam anguſta, ſed plus quam auguſta, Hypponenſis Præſulis, ligula fæcundum pelagus Gratiarum: facundiamq; vt exhaurires exſuxiſti. Dabis hanc breui vltrò Mariano Nomini, & incapacitatis capax fluidò Tuo dicendi genere capies mare. Quod omnes, nec præſumunt, nec audent definire, quia immenſum, quia expers omnium terminorum, Tu ad nucleum definies: quia in Te vt in Nucleo incluſum eſt. Diuident nonnulli, ſed nihil certi concludent, concludes Tu, quia ſimul totum ore concluſiſti Tuo. Ludes in virtutum literario ludo, cùm facillima methodo tam immenſum Gratiarum ac virtutum expediuiſti Oceanum. Sapiet Tibi profunda dulcedo Maris huius, Tibi inquam, qui ipſius totam Ambroſiam, Tuomet exploratam habuiſti ore. Quidquid inſeres ab hinc paginæ, gratiùs opus erit, gratiùs vel ipſo Gratiano. Fertilitatem papyrus ipſa dabit, cæleſti inundata Nilo. Erudita ſub nudo cælo imbrem non recipiet, ſat impleta. Fluxibus & refluxibus plenus eris, nam toti Olympo toti flues & Orbi. Calamus gemmas puras producet, rore ſupremo, imbutus ex toto, enutritus ex toto. Characteres in carbunculos, Charitatem Religioſam ſpirantes: verſus conuertentur in adamantes: Fortitudini ſcilicet conſecrati. Pleniſsimæ periodi Smaragdos plenos, Sapphiros oſtendent; Continentiam, ſublimem patientiam enarrantes. Paginæ Hyacinthis; Sardis, Topazijs, onerabuntur, pellucidam innocentiam, exoſam ſæcularibus paupertatem, ſublimem modeſtiam, cæteraſq; virtu-

tes

tes eximias redolentes. Volumina deniq́; aut potiùs flumina, pretioſis Chriſolitis, Berrillis, Amethyſtis, reliquiſq́; lapidibus, inſolita fulgurantibus, claritate condecorabuntur. Hæc enim omnia ex toto fluminibus, Fontibus, & Tibi ex his earundem ditiſsimo mercium Fonti, in Tua Ciſterna ſuum ſplendorem, decorem, pretium ſuum, & virtutem, vel inuita debere non diffitentur.

Ex iam non illuſtraui, ſed apperui Auguſti Fontis Auditor Humaniſsimè Ciſternam. Tu guſtaſti viue, viuendo vtere, vtendo vige. Sed ecce dum illam explico, fluêre mihi & Tibi deſinit, incipit æternitati. Ergo & noſtra mortalis eloquentia conticeſcat, quando ex toto Auguſtum Fontem, ipſa Auguſtiſsima tenet Æternitas. Succede Tu amplior verbis, hactenus anime intermiſte. Tibi agenda ſcena eſt, & hinc tunc exibis Actor: quando poſt exactam Æternitatem dixeris.

D I X I.

A. M. D. G.

IMprimatur: HYACINTHVS LIBERIVS, Sacræ Theol: Doctor, Præpositus SS. Corporis Christi, Casimiriæ ad Cracouiam, Censor Librorum.